PERIVRIVM OFFICIOSVM:

AD

Vere Nobilem, et

Generoſum, optimeq; de me

meritum virum,

ROBERTVM AYTONVM

Equitem, Annæ fœliciſſ. mem. *Magnæ Britanniæ, Fran. & Hiber. Reginæ* Secretarium.

Homo homini Deus.



LONDINI,
Apud Georgium Miller.
M. DC. XXVI.

Hos 15 versus sequentes interscribe
inter 5um et 6um versum, pag. 6.

Quantum sit tibi dextra liberalis
Nummi quam abdit avarus in sepulchro
Nummum quem male [illegible] adorat
Quam fortuna abstulit suis amicis
Possis inferior nec usquam amicos
Quos tunc alter ego alter [illegible]
Quos qui sibi [illegible] amicos
[illegible] nuda semper ac ubique
Clara [illegible] voce nunc
Nostris si genus gentibus que libellis
Nostri si modo [illegible] libelli:
Quam [illegible] honoris appello
In [illegible] solido [illegible] fasces
Nimirum sepultum ab ore laus que
[illegible] [illegible] una [illegible]

Hos 4 sequentes interscribe pag
inter versum 17um et 18um.

Virginum que populus apud [illegible]
Legali officio ac honore functus
Et summa [illegible] [illegible] regis
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

PERIVRIVM OFFICIOSVM:

AD

Vere Nobilem, et

Generoſum, optimēq; de me
meritum virum,

ROBERTVM AYTONVM

Equitem, Annæ fœliciſſ. mem.
Magnæ Britanniæ, Fran.
& Hiber. Reginæ
Secretarium.

Homo homini Deus.

LONDINI,
Apud Georgium Miller.
M.DC.XXVI.

VERE NOBILI ET generoſo optimeque de me merito viro ROBERTO AYTONO

equiti Annæ fœliciſſ. mem. Magnæ Britanniæ Franc. & Hib. Reginæ Secretario.

MVltos ante annos iuraueram, amiciſſime mihíq ſemper numinis inſtar colende AYTONE, nũquam me iterum inſaniturum. Hem periurum tua culpa, qui nihil tale de te meritum vltrò prouocaſti officijs, beneficijs, eheu tam malè tutò collocatis. Quippe quoties ego in rerum anguſtias redactus, vt iam propè conclamatum videretur, toties tu mihi repentè tanquam Deus e machina; non tantùm conſilio & opera vt hodie vulgus amicorum, de quo tamen plurima mehercle habenda gratia, ſed & reapſe amicus. Ac ſi peierandum, non regni, ſed quæ mea eſt ambitio, amicitiæ cauſa peierandum. Nec me terret criticus quiſquis ſit cum ſtylo ſuo, & ſi ita deo placet, ſpongia; dummodò omnem a me ingrati

animi ſuſpicionem longè amoliar. Quinimmo malim cum Cherylo verſus leues atq ludicros bona fide, licet inuito Phœbo, ad cachinnum effutire, quàm ſilere in tanta erga me liberalitate tamq non vulgari; vt nunc friget charitas, regnant ſordes. Siue hoc ſuperciliosis deliriũ videri poteſt ætatis huiuſce, iam dehinc ſenſim fortè deſipiſcentis: ſiue potiùs empy reuma eſt quoddam, & reliquiæ priſtini illius caloris ſopiti, nondum prorſus extincti. Quicquid eſt, ſemel iterum inſanire libet, & certum eſt. Tibi faxit Deus vt diuturna ſit mẽs ſana in corpore ſano. Ego vero nihil niſi morior, & moriar cum cygnæo hoc cantu;

Totus dum languentem hanc animam
traham optimo iure tuus

DAVID ECHLINVS

Medicus Reginæ.

PERIVRIVM OFFICIOSVM.

Rarum AYTONE decus Britanniarum,
Muſarum ſoboles Apolliniſq;,
Incertis mihi certe amice rebus,
Quo te munere proſequar? fidémq;
Penſabo, immeritam & benignitatem?
At nondum mihi vertit aut rotam ſors,
Aut frontem polus, vt pari referre
Par poßim modò lege talionis.
Sed nec ſpes quoque tempus in futurum
Tantam reddere poſſe largitatem.
Quidnam ergo? faciam licet quod vnum,
Quod ſors inuida neſcit abſtuliſſe:
Grato debita confitebor ore,
Agnoſcens animo ipſa gratiore.
Hoc Muſa ingenuis canet Phaleucis.
Hoc ſolum mea curta fert ſupellex:
Hoc ſolum ſat habebit altitudo
Cælſi iſthæc animi, arduúmq; pectus.
Datq; ingens animus facitq; gratis,

Nec quicquam niſi gratias repoſcit.
Quis tecum audeat omnium Britannus
Vera nobilitate comparare,
Qui ipſos nobilitabis vnus omnes
Britannoſq́; Britanniaſq́;, donec
Viuet Cynthius & nouem ſorores?
Oſtentet genus is licet, parentes,
Fumoſas atauorum imagineſq́;;
Nequicquam alterius bonis ſuperbus
Subductis ruet haud ſuis columnis.
Tu virtute tua artibúſq́; nixus
Fixiſti ſtabili ſolo perennem
Famam nominis, & ſuper profundum
Fundamen ſolidæ integræq́; laudis
Manſurum poſuiſti opus per æuum.
Vulgus nobile ſtemmatis auorum
Confiſum & titulis, ſuum inſuper nil
Affectat proprio addidiſſe marte.
Immo, proh pudor, inclytam parentum
Fœdat turpiter inquinátq́; famam,
Fuci degeneres inerſq́; turba.
Tu ſplendore domus vetuſtæ & amplæ
Non contentus adhuc, ſtudes & hanc quam
Spartam nactus es expolire tentas,
Nulla deſes & otioſus hora.
Argentum aut ebur aut nitens lapillus

O quantùm ampliùs obtinet venuſti,
Si docta artificis manu politus
Stet circumpoſito micans in auro.
Poſt ter quatuor Herculem labores
Verè Heroica facta, trans ſuam ædem
Virtus Gloriæ in æde conſecrauit.
Sic quondam, memini, Hercules vt alter
Iam tum pœne puer procul fugare
Monſtrum inſcitiæ agreſte & abſq; cultu,
Crudam barbariem, rudeſq; mores
Cœpiſti attonito ſcholæ magiſtro, &
Ad ſpectacla ſtupentibus Camænis;
Alternans patrio melos Latinum;
Dum cœco Diophantus ardet igni, A
Quem pulchro Charidora fouit ore.
Poſtquàm egreſſus es auctus ex ephebis,
Amplexa eſt gremio ſüäuem alumnum
Suauis Gallia, & artium bonarum
Virtutum omnigenûmq; terra cultrix:
Hoſpes Gallia gentium exterarum;
Nulla at mentio gentium exterarum.
Quam Caledonia inchoarat ora
Hìc tu perficis abſolutus artem:
Nuper Gallica, mox ſonans Latina;
Fuluum dum gemina roſa leonem B
Ornas occidui ad caput monarchæ;

Veraces

Veraces cecinere quem Sibyllæ
Iunćturum duo regna priſca in vnum;
Indignante dei domum bifrontis
Clauſam, vincula carceremq́ue, bello.
Ætatis meliore parte tandem
Tranſacta reducem excipit paternum,
Saltem finitimum ſolum paterno;
Fœlix Anglia Scotiæ vnione:
At fœlicior ipſa vtroque Rege,
Illo Pacifico, hoc parato vtrinque;
Seu pacem colere intra & extra honeſtam,
Seu iuſto premere enſe perduelles.
Hùc te quæ comites erant ſequutæ
Vaſtum per pelaguſq́ue pérque terras,
Fidæ Pierides domùm reducunt;
Aſpiratq́ue fauens canenti Apollo:
C *Seu votiua pio pius ſodali*
Soluis iuſta, fide hinc & inde pacta:
D *Seu Leſſus medicum gemit poetam,*
Quem vis peſtiferæ enecauit auræ;
Sacram carmine conſecrato ad aram.
Iam cùltus tibi Numinis ſupremi,
In diuos pietaſq́ue, prima ſemper
Ac princeps ſapientia æſtimata eſt.
Tum mores niuis æmuli, nec vlla
Liueſcens macula abſq́ue labe pectus,

Deuinxere

Deuinxere tibi omnium fauorem.
Sic vita hactenus inſtituta, vt ipſi
Momo quod reprehendat haud notetur,
Langueſcatq́; odium ſilens, probetq́;
Laudes inuidia ore vel coacto.
Nec tu, quod caput omnium, otioſa
Segnis natus eras latere in vmbra,
Seorſum a ſtrepitu negotiorum;
Afflatu ebrius aut liquore inani,
Ignaui & ſteriles vti poetæ.
Quin tu cum locus eſt, vocatq́; tempus,
Omni poſthabito ſilentioq́;,
Seceſſuq́; locorum amœniorum,
In lucem alite fauſtiore prodis,
Rerum vtcunque oneroſa publicarum
Gubernacula ſtrenuè capeſſens;
Seu pax vrgeat alma, ſeu duellum:
Inuitis nihil interim Camænis:
Immo id cum venia bona Sororum:
Ne quis propterea putet Poetam
Excludendum Helicone ſaniorem.
Nam tu poſt grauiora ſeriumq́;,
Ad dulces remeas ſubinde luſus,
Dio mentis alacrior furore:
Perpaucis data quæ fuit facultas.
Paucis ingenium hoc, lutoq́; paucis

Hoc præcordia ficta molliuſclo.
Sic Mauors galeaq; & enſe nudus,
Armorumq; virumq; poſt tumultus,
Charæ coniugis in toro recumbens,
Mentem membraq; recreare gaudet.
Quàm ſortis dominator vtriuſque,
Iuxtà deſpicias & hanc & illam;
Non abiectus humi, nec intumeſcens:
Sed ſemper ſimilis tibi tuiq;,
Vultu immotus ad omnia vniformi:
Quàm cordis generoſa magnitudo, &
Inuictus vigor hoſte fulminante:
Quàm prudentia ſingularis: & vis
Quænam conſilij ſagacis ire
Maturè ancipiti obuiam periclo:
Teſtis Rex IACOBVS *omne in æuum,*
Dignum te ordine iudicans equeſtri.
Teſtis nec locuples minùs ſit ANNA,
Quæ te pro meritis fideq; ſumma,
Secretis proprijs præeſſe iuſſit;
Dignum quem MARIA *& ſuis eundem*
Schedis præficiat; quod & futurum
Mens præſaga mihi breuì auguratur.
Dudum ad munus hoc ipſe plurimorum
Votis non tacitis palàm & loquelis
Audis indigitatus optimorum.

Ceu

Ceu quondam ad trabeam Numa atque faſces
Venit rure vocatus e Sabino.
Ergo cedite laude Apollinaris
Palmæ, cedite gloriæ trophæis,
Vos vateſq́; equiteſq́; nobileſq́;
Quotquot nunc ſupereſtis ô Britanni;
Et quot poſteritas feret nepotes,
Auguſtoq́; equiti, ſacroq́; vati.
Primus tandem erit optimuſq́; quiſquis
A noſtro hoc fuerit ſtatim ſecundus;
Tanti Prototypi æmulator acer.
Laudum encomia mî quidem tuarum
Triuiſſe Hendecaſyllabis piaclum.
Nempe hìc grandiloquo eſt opus cothurno.
Hoc præſtent quibus annuens Apollo:
Aut certè potiùs vel ipſe Apollo.
Mi AYTONE *interea vale, tuique*
Flos ſæcli vnice, flos tuæq́; gentis.
Fortuna fruere indies vigente.
Virtuti æmula ſors ſit, & viciſſim.
Echlinumq́; tuum vſq́; amare perge;
Quem curæ ſeniúmque & ægritudo
Et fortuna nouerca perdidiſſet,
Præſentem niſi Diua opem tuliſſet;
Nutantem niſi Diua ſubleuaſſet;
Inſtantem clypeo tegens ruinam:

HERRICO patre nata Magna MAGNO,
Et IVSTO ſoror Æqua LODOICO,
Vxor chara Britannici Monarchæ,
CARLI Magnanimi, Optimiq; Regum;
Mater, o vtinam, beata prole
Pulchella exhilarante prole matrem;
Et mater MARIA atq; pulchra proles,
Olim AYTONE tuæ ſonus Thaliæ.

A Diophanti & Charidoræ amores Scotico verſu, elegãter & lepidè luſit adoleſcentulus.

B De inaugurando IACOBO Magnæ Britanniæ Rege primo, Carmen Panegyricum tanto Heroe dignum.

C Conuentum inter *Robertũ Aytonũ* Equitẽ, & *Thomam Rhœdum* Regi a Latinis literis; vt, qui e duobus alteri ſuperuiueret, defuncto carmen funebre inſcriberet. *Aytonus*, quod quæſo diuturnum ſit, ſuperſtes, egregiè pacto abundeq ſatisfecit.

D LESSVS, vt ſuperiora cæteraq eiuſdẽ venæ planè aureus, (nam paucula hæc in præſens exempli cauſa duntaxat) in funere *Raphaelis Thorij* Medici & Poetæ preſtantiſſimi, qui peſte extinctus cum omniũ bonorum, doctorũq́ triſti deſiderio, obijt Londini, 1623.

THORIVS

THORIVS Poeta quo nec alter dignior,
Dignum poetam nactus eſt.
AYTONVS arte nec ſecundus alteri,
Nactus poetam eſt imparem.
Nec, Lector, hoc te offendat oro, candide:
Parem poetam non habet.
Tenui meæ ſit ſat ſuperq; muſulæ,
Dignum ſi amicum nactus eſt.

Vnum te ſupplex orat, mi AYTONE, libellus,
Per ſacra, per ſanctam mutuò amicitiam:
Vt, quando ille tuo ſub nomine vadit in aulam
Simplex, & domini expreſſa figura ſui,
Nuſquam ſolus eat; ſed te præeunte, tuoq;
Tectus is & paßim Numine tutus eat.
Teq; ducem ſi fortè ſequatur in Atria Regis,
Ne timor aut pudor hic peccet vterque caue.

D. E. M. R.

THORIVS, poeta quo nec alter dignior
Dignum poetam nactus eſt.
AYTONE, vates quo nec alter doctior,
Dignum & poetam nactus es.
Noſtro huic, poeta nemo quo modeſtior,
Dignum poetam quis dabit?
Sic luce digna cenſuit Phaleucia
Medici Poetæ carmina,

I. H.